233

7754. bb. 14

ORATIO
ANNIVERSARIA
HARVEIANA.

ORATIO

UNIVERSITATIS
HARVEIANA.

ORATIO
ANNIVERSARIA
HARVEIANA:

In THEATRO

Regii Medicorum Londinenſium Collegii

HABITA,

Ad Diem XVIII Octobris, MDCCXXIII.

Adjecta eſt

DISSERTATIO

De NUMMIS quibuſdam a SMYRNAEIS
in Medicorum honorem percuſſis.

Ex Theſauro Regis Galliarum.

LONDINI: Apud S. BUCKLEY, MDCCXXIV.

ORATIO

ANNIVERSARIA

HARVEIANA:

Regii Medicorum Londinensium Collegii

HABITA,

Ad Diem xviii Octobris, mdcccxxiii.

Adjecta est

DISSERTATIO

De NUMMIS quibusdam a SMYRNAEIS
in Medicorum honorem percussis.

LONDINI: Apud S. Bensley, MDCCXXIV.

PRAESIDI ILLUSTRISSIMO

SOCIISQUE DOCTISSIMIS

REGII MEDICORUM LONDINENSIUM COLLEGII

DE ARTE MEDICA INDIES OPTIME MERENTIBUS

ORATIONEM HANC

IN PRAESTANTISSIMORUM HOMINUM LAUDEM

QUI MAXIMIS SUIS BENEFICIIS

ARTEM ILLAM SUSTENTARUNT

AMPLIFICARUNT ET EXORNARUNT

HABITAM

L. M. Q. D. D. D.

RICHARDUS MEAD.

PRAESIDI ILLUSTRISSIMO

SOCIISQUE DOCTISSIMIS

REGII MEDICORUM LONDINENSIUM COLLEGII

DE ARTE MEDICA INDES OPTIME MERENTIBUS

ORATIONEM HANC

IN PLACIDISSIMORUM HOMINUM LAUDEM

QUI MAXIMIS SUIS BENEFICIIS

ARTEM ILLAM SUSTENTARUNT

AMPLIFICARUNT ET EXORNARUNT

HABITAM

L. M. Q. D. D.

RICHARDUS MEAD.

ILLUSTRISSIME PRAESES, COLLEGAE SPECTATISSIMI, AUDITORES HUMANISSIMI,

SI, quantam vim habent ad humanas mentes amore laudis ac gloriae incitandas magnarum virtutum exempla, tantum ego ingenii & eloquentiae in laudandis illis heroibus, quorum hodie nobis commemoranda ſunt beneficia, afferre poſſem; haudquaquam ſane vererer, ne aut illorum meritis parum conveniens, aut veſtris auribus minus grata, quam nunc habiturus ſum, foret oratio. At vero, cum haec res longe aliter ſe habeat, & neque natura aptus, neque uſu inſtructus ad dicendum, juſſu veſtro hoc muneris ſuſceperim; ne importuna artis affectatione vobis ſim taedio, hiſtorici potius, quam oratoris partes agens, honores medicinae recenſebo; & per quos maxime reges aut principes, & quos apud populos, creverit ſalutaris hujus

professionis gloria, in brevi quasi tabella vobis proponam. Et dum hoc faciam, partem laudis istius haud infimam nostrae genti merito attribui debere manifeste ostendam; quo nihil aut mihi ad recitandum jucundius, aut vobis, opinor, ad audiendum acceptius, aut omnibus nobis ad praedicandum honestius esse potest.

Ab Aegyptiis autem, antiquissimis illis omnis fere sapientiae magistris, incipiam; apud quos tanto fuit in honore ars nostra, ut ne reges quidem ipsi illam facere infra dignitatem suam existimaverint. Osirin & Isin in primis reginam medendi peritia excelluisse accepimus. Post horum tempora medicis ex publica pecunia dabantur praemia; & *Sacri* titulum ferebat liber, in quo descriptae fuerunt leges, ad quas morbis acutis laborantes curare licebat [a].

Graeci uti artes omnes subtilius, quam Aegyptii excoluerunt; ita praesertim medicinam, quae ex cognitis paucarum herbarum viribus, & populari experientia constabat, in scientiam redegerunt. Fama celebres apud eos antiquitus fuerunt scholae non paucae, Rhodia cum primis, Crotonienſis, Cnidia, Coa, & Smyrnaea. Crotonienſem illustravit Democedes, cui Darius rex Persarum, inter captivos apud ipsum agenti, acceptum restitutae sanitatis beneficium magnis divitiis

[a] Diod. Sicul. l. 1. p. m. 74.

& ho-

& honoribus rependit; non ſine inſigni humanitatis, qua nihil magis medicum commendat, in Democede exemplo. Cum enim rex medicos Aegyptios, qui ſe in principio morbi imperite tractaſſent, occidi juſſerat; ille culpae hujus veniam impetravit, & gratiae loco habuit conceſſam illis cum vita libertatem [b].

CAETERARUM autem omnium gloriam Coae obſcuravit ſcholae felicitas, poſtquam ex illa prodierat, qui primus hanc diſciplinam a ſtudio ſapientiae ſeparavit, divinus Hippocrates. Magno nomini adſurgimus omnes! & parentem medicinae veneramur! qui non tantum ſapientiſſimis praeceptis artem hanc formavit, ſed & ipſe vita & moribus perfectiſſimi medici exemplar expreſſit. Tanto itaque viro maximos honores delatos minime miramur, neque hos tantum a Cois ſuis, qui imagine ipſius nummos ſignarunt [c], ſed etiam ab univerſa Graecia; quae communi concilio, quod *venientem ab Illyriis peſtilentiam praedixerat, diſcipuloſque ad auxiliandum circa urbes dimiſerat, honores illi, quos Herculi, decrevit* [d]. Civem porro adſcripſerunt Athenienſes, auro coronarunt, & victum illi & poſteris in Prytaneo dederunt [e], qui honos in Graecia maximus habebatur. Athenienſes enim, cultiſſimi ſcientiarum aeſtimatores, hanc artem plurimi ſemper fecerunt; apud quos anti-

[b] Herodot. lib. 3. c. 129, &c.
[c] Vid. Numm. in Titul.
[d] Plin. N. H. l. 7. c. 37.
[e] Soran. in Vit. Hippocrat.

qua

qua lege cautum fuit, *Ne quis ſervus, neve qua foemina medicinam diſceret* [f]. Et tam ab iis, quam ab aliis Graeciae civitatibus, honores & immunitates eximiae publicitus medicis concedebantur [g].

HINC maximi omni aevo apud Graecos viri medicinam callere laudi ſibi duxerunt. Pythagoras & Democritus primi omnium de virtutibus herbarum ſcripſere [h]. Ariſtoteles, haereditario quaſi jure ad ſe pertinere hanc artem ratus (ab Aeſculapio enim genus duxit [i]) medicinam non didicit tantum, ſed & factitavit [k]; libroſque de plantis, de anatomicis, & ἰατρικῶν etiam edidit [l]. Quin & medendi peritia Magni Alexandri benevolentiam ſibi primum conciliavit; quem cum gravi morbo oppreſſum liberaſſet, hanc ab eo facultatem rex invictiſſimus doceri voluit; neque illam interdum exercere vile, aut a ſumma ſua dignitate alienum, judicavit [m]. Crevit poſtea haec laus in familia Ariſtotelis, cujus ex filia nepos, nomine Eraſiſtratus, magnam conſecutus eſt famam. Is ſectam longe celeberrimam condidit; quam in ſchola Smyrnaea, jam antea memorata, ad ſuam fere aetatem, quo tempore illi praeſidebat Hiceſius, Strabo floruiſſe tradit [n]. Tam inſignis porro fuit, qui in hac urbe medicis habebatur honos, ut mihi ſane gratuler,

[f] Petit. Leg. Attic. l. 3. tit. 8.
[g] Lucian. Abdicat. p.m. 457.
[h] Plin. l. 25. c. 2.
[i] Diog. Laert. in Vit.
[k] Aelian. Var. Hiſt. l. 5. c. 9.
[l] Diog. Laert. ibid.
[m] Plutarch. in Vit. Alex.
[n] Geogr. lib. 12. ſub finem.

qui,

qui, hanc occaſionem nactus, notitiam illius ex antiquitatis tenebris jam primus in lucem proferam. Honos autem, quem dico, is erat, quo communiter cum praetoribus, ſummis nimirum urbis magiſtratibus, ornabantur, ut nomen eorum nummis imprimeretur. Praeterea quo magis oſtenderent Smyrnaei, in quanto pretio eſſet apud eos ars noſtra, medicorum nomina deorum ſalutarium imaginibus in nummis adjungi volebant; quorum multi ex altera parte caput Hygiae, ex altera vero Jovis Aeſculapii effigiem cum perſpicuis medendi artis inſignibus exhibent. Neque Eraſiſtrateos ſuos tantum ita honeſtabant; ſed nonnullis etiam aemulae Herophileorum ſcholae, quae iiſdem aetatibus in loco procul diſſito, *fanum Menſis Cari* appellato, inter Laodiceam ad Lycum & Carura, magna cum laude florebat [o], eundem honorem tribuebant [p].

A Graecis ad Romanorum tempora devenientibus minus auguſta primo intuitu, & parum laeta ſeſe offert rerum noſtrarum facies. Servos fuiſſe, qui primi Romae medicinam fecerunt, vulgo creditur; & pulſos urbe exulaſſe medicos, Catone cenſore, ſcriptis prodiderunt nonnulli. Haec, in opprobrium artis prolata, quodnam habeant fundamentum, operae eſt diſquirere. De ſervitute mox dicam: primum autem de exilio quaeſtionem, calumniam rectius dixerim, paucis expediam.

[o] Strabo dict. loc.

[p] Vid. Differt. ad finem adject.

Nulla certe veterum annalium fide, nullis antiquorum monumentorum indiciis nititur hoc commentum. Primus, quod ſciam, in vulgus edidit vaniſſimus ille *De vanitate ſcientiarum* ſcriptor, Cornelius Agrippa [q]. Anſam vero ad hoc fingendum dedit Plinius [r], qui *populum Romanum ultra ſexcenteſimum annum ſine medicis degiſſe, & expertam tandem damnaſſe medicinam*, adductis etiam Catonis ad Marcum filium adverſus hanc artem dicteriis, memoriae mandavit. Tantum autem valuiſſe aut atrocem animum, aut auctoritatem Catonis, ut medicos urbe pelleret, nuſquam legimus. Neque damnavit omnem medicinam populus ; ſed in ea, quae manu curat, ſecandi urendique ſaevitiam (quam tamen ipſa non raro imperat miſericordia) ut novam, & aſpectu terribilem improbavit.

Sed miſſum faciamus hoc convicium, quod non ſemel antea diluerunt viri eruditi ; & qualis fuerit medicorum Romae degentium conditio, praeſertim num ſervilis, paululum diſpiciamus. Romani artes omnes a Graecis acceperunt, & ſero quidem, *rudi ſcilicet & bellicoſa civitate non magnopere liberalibus diſciplinis vacante* [s]. Nec grammaticam quidem, aut poeticam, ante annum quingenteſimum excoluerunt [t]. Primus autem, anno ſupra quingenteſimum triceſimo quinto, medicus

[q] De Van. Scient. cap. 83.
[r] Nat. Hiſt. l. 29. c. 1.
[s] Sueton. Lib. de illuſt. grammat. in princ.
[t] Cic. in Brut. c. 18. & Tuſcul. Quaeſt. in princip. ubi vid. not. Daviſii.

e Pe-

e Peloponneſo Romam venit Archagathus; cui is honor habitus eſt, ut *jus Quiritium ei datum ſit, & taberna in compito Acilio empta ob id publice* [u]. Magna ſeculo ſequenti fama fuit Aſclepiadis Bithyni, tam dicendi quam medendi arte inſignis, quo ſe medico amicoque uſum fuiſſe L. Craſſus apud Ciceronem teſtatur [x]; ex cujus etiam poſteris, ut videtur, *Calpurnius Aſclepiades, a divo Trajano parentibus, ſibi, & fratribus ſeptem civitates impetravit* [y]. Neque diu poſt, cum jam quotidie quaeſtus cauſa ex Graecia Romam adirent medici, Julius Caeſar, in cujus manus tunc temporis ſumma rerum poteſtas devenerat, omnes hanc artem profeſſos civitate donavit [z]. *In ſervos autem id beneficium fuiſſe collatum, vel ſuſpicari*, ut cum viro inter literatos principe loquar, *nimia eſt ſtultitia* [a]. Nihil igitur ſervile, aut tenue quidem, artem noſtram adhuc dedecorat. Sed ut plane, & ſine fuco, totam rem dicam; ſimul cum ingenuis multis & doctis viris non pauci ſcientia & fortunae bonis inferiores illis temporibus Romam veniebant; qui, etſi non medicamentis, ſed manu curarent, medici tamen appellabantur. Hi in divitum & magnatum clientelam ſe conferebant, & ſervi agebant, donec civitatem conſequerentur; inde liberti, nomen familiae alicujus Romanae ſibi adſciſcere ſolebant; neque raro, ſi ingenium ſtudio literarum excoluiſſent, morbis etiam internis medebantur, & in me-

[u] Plin. N. H. l. 29. c. 1.
[x] De Orat. l. 1. c. 14.
[y] Inſcript. antiq. apud Spon. Recherch. Curieuſ. Diſſert. 27.
[z] Sueton. in Vit. c. 42.
[a] Caſaub. in dict. vit. Suet. c. 4.

dicorum clinicorum cenſum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Muſa, cui, poſtquam ejus opera ex ancipiti morbo convaluerat Octavius Auguſtus, ſtatuam, aere collato, populus Romanus poſuit [b]. Auguſtus quoque ei jus annuli aurei, & immunitatem non ipſi tantum, ſed omnibus medicinam profitentibus, in poſterum tempus conceſſit [c].

Non igitur ars erat ſervilis apud Romanos medicina; ſed liberalis, & tanto in honore, ut etiam pars ejus chirurgica, quae a ſervis, & exili ſorte hominibus exerceri poterat, libertatem ſaepe daret, & magnas opes. Haud exigua ſane iis temporibus erant medendi facultatis praemia. Principum medicis annua ſtatuebatur merces. Iis autem, referente Plinio, *imputavit Stertinius, quod quingentis ſeſtertium millibus*, pecuniae noſtrae pluſquam ter mille & ſexcentis libris, *contentus eſſet; cum ſexcenta quaeſtu urbis ſibi eſſe, numeratis domibus, oſtenderet* [d]. Ipſe vero & frater ejus ſua pecunia Neapolin operibus exornarunt, & tamen *cenſus trecenties centena millia ſeſtertium haeredi reliquere* [e]. Omitto plura exempla memorare, neque vobis Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios iſtam, Romana nomina, quae profeſſione medicinae & opibus claruerunt. Praeterire autem nequeo, in nummis Rubriorum conſpici anguem, deae

[b] Sueton. in Vit. Aug. c. 59.
[c] Dio. H. R. l. 53, ſub fin.
[d] Lib. 29. c. 1.
[e] Ibid.

Salutis

Salutis ſignum, monumentum, ut videtur, familiae ſibi medicinae laudem vindicantis. Miror itaque in nummis iſtis explicandis neque Patinum, neque Vaillant, viros de re nummaria optime meritos, hanc, arti ſuae adeo honorificam, inter alias ejus rei cauſas longius petitas attuliſſe [f]. In ſumma, ita non ſemper tenui fortuna homines Romae erant medici, ut etiam imperatorum ſaepe amici eſſent & familiares [g].

NEQUE putet quiſquam gratia tantum ſingulari in hunc aut illum collocata fuiſſe, qualia diximus beneficia; arti habebatur honos, & univerſis eam profitentibus dabantur immunitates. Collegium enim, ſive ſcholam, ut vocabatur, medicorum in urbe fuiſſe, ex antiquis marmorum inſcriptionibus apparet [h]. Quales autem legibus dabantur illis immunitates, veterum juriſconſultorum libri nos docent. Exempla e multis pauca tantum proferam. Conſtantini Magni imperatoris extat hoc reſcriptum: *Medicos, & maxime archiatros, grammaticos, & doctores legum, una cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus, vel civilibus vel publicis, immunes eſſe praecipimus; & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, vel exhiberi, vel injuriam pati; ut ſi quis eos vexa-*

[f] Vid. Patin. & Vaill. Fam. Rom. | Diſſert. 27.
[g] Vid. Spon. Recherch. Curieuſ. | [h] Mercur. Art. Gymn. l. 1. c. 7.

 verit,

verit, poena arbitrio judicis plectatur [i]. Nec novo prorſus favore his omnibus beneficiis tum primum facultas haec ſalutaris honeſtabatur. Jam ante enim *medicis & philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam,* imperatores Veſpaſianus & Hadrianus reſcripſerant [k]. Item Antoninus Pius a muneribus civilibus & publicis *immunes eſſe medicos* juſſerat [l]. Deinde poſt hos omnes Julianus, qui, niſi nomini maculam fixiſſet hoſtile erga Chriſtianos odium, inter ſapientiſſimos imperatores jure cenſeretur, non ſine honorifico utilitatis artis noſtrae teſtimonio, ſuperiorum principum decreta de medicis, lege lata, ſancivit, eoſque a curialibus muneribus liberos eſſe voluit [m]. Sed de rebus medicis apud populum terrarum orbis dominum ſatis, opinor, dictum fuit.

Si medicinae autem tempora, & varias quaſi aetates ſpectemus, ad Arabes jam, ſimul cum armis literarum ſtudia agitantes, nos deducit orationis filum. Iis enim ſeculis, quibus foeda barbaries caeteras fere nationes obduxerat, penes eos permanſit artis hujus ſcientia. Deficiunt quidem hac in parte annales medici, & linguae ſuae difficultatibus involuta in bibliothecarum forulis latent, quae de medicorum hiſtoria gentis illius ſcriptores memoriae mandarunt, aliquando forſan in lucem protrahen-

[i] Leg. 6. Cod. de profeſſ. & med.
[k] Leg. ult. §. ult. ff. de mun. & hon.
[l] Leg. 6. §. 2. ff. de excuſat.
[m] Vid. Julian. Epiſtol.

da. Speciminis autem loco ex ineditis illorum monumentis obſervare libet, imperatoris medico annuo ſtipendio fuiſſe *quindecies centena millia drachmarum* [n] ; quae, ſi ad noſtram pecuniam exigantur, pluſquam tricies mille librarum ſummam conficiunt. Ingentem ſane, & forſan vix credibilem eſſe hanc principum munificentiam, quis dicet. At non tam miniſtri, quam conſiliarii, imo affines regum, apud eos habebantur medici ; & terrarum reditus, & urbium praefecturae illis ſaepe in mercedem cedebant.

POSTQUAM, renaſcentibus literis, antiqui doctrinae fontes recludi, & in Italia primum, inde & in caeteris Europae regionibus, fervere ſtudia ſcientiarum coeperunt, apud alios & alios populos medicina honores varios ſortita eſt ; utque gloria aluntur artes, ita haec ſemper accepta beneficia magnis in rempublicam utilitatibus rependit. Longum eſſet ſcholae Salernitanae, Bononienſis, Patavinae, Montis Peſſulani, Pariſienſis, & aliarum quamplurium jura & immunitates explicare ; verum illud memorare juvat : ut nuſquam honoratior, quam apud nos, extitit medicina ; ita nullum collegium, abſit verbis

[n] Oſaibea De vitis medicorum, mſ. Arab. Drachmae autem hic non Atticae, ſed Arabicae intelligi debent ; quarum hae, ſi Golio credamus in Lex. Arab. tertia parte illis ſunt leviores. Nec longe diſcrepat Gravii ſententia, qui, ex comparatione cum granis noſtris diſcrimen petens, veterem Atticorum drachmam grana 67, Arabicam vero $47\frac{41}{46}$ exaequare ſtatuit. Vid. *Greaves's Diſcourſe of the Roman Denary*, p. 61, 115.

invidia,

invidia, virorum ingenio & doctrina excellentium hoc noſtro fuit feracius.

Amplissimus hic dicendi campus ſeſe aperit; ſed monet me praeſcriptum munus, ne exiguum hoc temporis ſpatium, de medicis optime meritorum memoriae ſacrum, medicorum praeconiis effluere ſinam; dicant potius exteri, quantum per Anglorum labores in medicinae ſtudio ipſi profecerint. At quidni dicam rara felicitate id nobis contigiſſe, ut, qui hic ſalutaris ſcientiae lumina claruerunt, iidem dignitatis noſtrae auctores & cuſtodes beneficentiſſimi celebrentur? Ecquis Linacro, qui ſub auſpiciis regis invictiſſimi, Henrici octavi, primus nos auctoritate inſtruxit, ſapientiorem, & literis cultiorem dicet quempiam? Ecquis Caio, qui inſignia poteſtatis ad decus & ornamentum addidit, arte praeſtantiorem? An Harveio, qui potentiam opibus auxit, ſagaci ingenio, & naturae ſcientia, ullum inveniemus parem? Hi nimirum veterum ſapientium more, relicta patria, terras alio ſole calentes adierunt, Italiam in primis, antiquum illud Muſarum ſacrarium; ubi parum illis fuit omne diſciplinarum genus toto pectore haurire, & domum adferre; adhuc majora animo conceperunt, formam nempe reipublicae medicae, qua in unum corpus, quaſi membra, coirent artis profeſſores. Amant enim ſocietatem ſcientiae; & concordia, tanquam communi anima, vigent. Hinc alius poſt alium, veluti vicario ſtudio, legibus & ſtatutis ſodalitium hoc communiverunt;

rerum geſtarum annales condiderunt ; & ſolenne convivium, cum grata bene meritorum de nobis commemoratione, inſtituerunt. Vivite aeternum, illuſtria nomina! Veſtrae, dum ſtabit honos medicinae, manebunt laudes ; ſtabit autem, quamdiu cura ſui tanget mortales, & morbis opportuna reddet corpora in luxum & libidinem proclivis hominum natura. Sed & alios, quos habuimus ejuſdem laudis aemulos, ſilentio premere eſt nefas ; Caldwellum, Gulſtonum, Cronium, qui ampliſſimis honorariis chirurgiae & inciſionis ſtudium promoverunt ; ut etiam munificentiſſimum Hamaeum, cui viventi aedes noſtras, morienti praediorum ſuorum haereditatem debemus. Ut magnae autem ſunt apud bonos virtutis illecebrae, illius praecipue, qua publicae utilitati conſulitur ; ſpectata haec medicorum liberalitas, & in commune ſtudia ſua conferentium generoſus ardor, alios quoque viros, ſanguine pariter ac literis illuſtres, in laudis ejuſdem partem attraxit. Nec ſequior ſexus ἀσύμβολος eſſe voluit, ut, quibus ob teneram formam plus eſt in arte noſtra praeſidii, aliquid etiam ad ejus decus afferre viderentur. Honoratiſſimae igitur foeminae, regia etiam ſtripe illuſtres, Arabella Stuarta, & Maria comitiſſa Salopienſis, ſocia beneficentia, ad levandos ſumptus in aedibus noſtris emendis factos, pecuniam larga manu donaverunt. His adjungam nobiliſſimum virorum par, Joannem Lumleium baronem, & Henricum Durnovariae marchionem ; quorum ille cum Caldwello, quem dixi, junxit munificentiam :

centiam: hic in tanto nos habuit amore, ut non modo bibliothecam dederit, optimis libris instructissimam; ſed & inter nos cenſeri, comitiis noſtris intereſſe, & rem medicam ſedulo procurare voluerit. Omine ſane felici! cum & nunc nobis gratulemur optimatem, honoris inſignibus illuſtriſſimum, & hos tamen animi magnitudine vincentem, tabulis noſtris ſuo nomine decus & ſplendorem addidiſſe.

Non ultra pergam magnorum virorum laudes, quas nec hominis diſertiſſimi vox aequare poſſet, ingenii culpa imminuere. Humanitatis profecto & ſcientiae exempla, quae vos, collegae ornatiſſimi, aſſidue oſtenditis, memoriam illorum quavis oratione longe melius conſecrabunt. Etenim dum illorum veſtigia premitis, quotidianum illis inſtauratis laudis monumentum, & prudentis conſilii, ac bene collocatae operae teſtimonium perhibetis perpetuum. Quis praeſidem illuſtriſſimum, ſtrenue ac prudenter auctoritatem noſtram tuentem, ſuſpicit; & Linacri ſapientiam haud ſtatim ſibi repraeſentat? Quis cenſoribus imperitorum artis pernicioſam audaciam coercentibus, & ne qua in pharmacis noſtris conficiendis fraus fiat providentibus, gratiam habet; vel quaeſtoris in aerario adminiſtrando fidem & frugalitatem laudat; vel omnes vos denique ſine malis artibus ſaluti civium proſpicientes, & pro meritis divitiis & honoribus auctos veneratur: nec eorum, qui primi hujus diſciplinae fundamenta poſuerunt, atque hoc domicilium

ſcientiae

ſcientiae condiderunt, benefacta ſimul honorate praedicat, ſummiſque laudibus in caelum extollit ? Macti igitur eſte ſapientia, viri clariſſimi, coeptam viam pergite. Hac enim ratione laudis aeque ac vitae lampada filiis tradetis ; atque hi iterum nepotibus ; qui, majorum exempla ſequentes, collegii hujus jura, decus, & dignitatem, in omne aevum duratura (ita voveo & auguror) ſuis etiam poſteris ſarta tecta conſervabunt. Dixi.

DISSERTATIO

DE

Nummis Quibuſdam

A Smyrnaeis

In Medicorum honorem percuſſis.

by Dr. Richard Mead.

DISSERTATIO

DE

Nummis Quibusdam

A Smyrnæis

In Medicorum honorem percussis

LECTORI S.

CUM inter multos ac varios honores, quos medicis olim tributos fuisse in Oratione mea ostendi, singularis cujusdam, quem a Smyrnaeis acceperunt, ut nomina illorum in nummis ponerentur, mentionem fecerim; quo res ista magis foret perspicua, nummos aliquot ejusmodi e multis aliis, quos apud me conservo, aere incisos, cum singulorum explicatione hic adjicere volui. Ex medicorum enim nominibus, tantis laudibus apud veteres celebratis, deorumque salutarium imaginibus, symbolis artis suae instructis, quae in his nummis conspiciuntur; Smyrnaeos, quo medicae artis professorum famae ac dignitati consulerent, eos percussisse, omnes, opinor, aequi rerum aestimatores mecum agnoscent.

FATEN-

FATENDUM est sane magistratuum nomina tam in Smyrnaeorum, quam in aliarum Graeciae civitatum nummis haud paucis comparere; unde viri eruditi, & rei nummariae scientissimi, si qui forte id genus nummi, de quibus hic agimus, in manus eorum devenerint, magistratibus statim adscribentes, inter alios ejusdem (ut ipsi censuerunt) classis in scriniis hactenus collocarunt. Attamen si rem paulo accuratius intueamur, nummos, in quibus magistratuum nomina leguntur, alia numina, aut aliis saltem insignibus, cum re medica nihil commune habentibus, ornata exhibere percipiemus. Primus autem, quod sciam, Seguinus nummi alicujus ectypum protulit, cui ulla omnino cum nostris similitudo esse videatur. Is quidem inter alios Smyrnaeorum nummos unum edidit, in cujus altera parte caput Hygiae *nostrae persimile adspicitur, quod ipse tamen* Apollinis *esse statuit; in altera imago sedens, sed velata, & brachiis transversis, nec reliqua adsunt symbola; ni forsan in lineamentorum ductu, quae temporis injuria evanida fuissent & confusa, sculptor hallucinatus fuisse existimetur. Imaginem autem* prytanis, *hoc est summi apud Smyrnaeos magistratus,* sedentis *esse autumat* [a]. *Neque ab illustrissimo Spanhemio, neque a Vaillant, in iis quae ad opera illius scripserunt, hic diversum aliquid affertur;*

[a] Seguin. Select. numm. ant. p. 33.

unde

unde eos nihil certius habuisse, quod de nummo isto proponerent, manifesto constat. Alter quoque nummus ab eodem Seguino adducitur, qui hinc Matris Deorum Sipylenae, *quae Smyrnae colebatur, caput; illinc stantis* Isidis *simulacrum repraesentat* [b]*: de quo in* Notis ad Dissertationem *plura dicendi locus dabitur* [c].

VIR igitur reverendus, EDMUNDUS CHISHULL, S.T.B. *cujus eximia antiquitatis, omnisque adeo elegantioris doctrinae cognitio ex egregiis illius, tum* in nummum CKΩΠΙ inscriptum, *tum etiam* in Sigeam inscriptionem Commentariis, *orbi erudito diu jam innotuit, hos nummos primus feliciter explicavit, & quasi postliminio recuperatos medicis restituit. Smyrnae enim largior eorum provenit messis, postquam terra circa Aesculapii templum coepta est dimoveri. Qua occasione etiam erutum fuit, & luci redditum, caput marmoreum, in quo inscribitur,* MAPKOC MOΔIOC IATPOC MEΘOΔIKOC; *item nummus* Aristotelis *nomen exhibens; ut etiam* Hermogenis *medici, qui septuaginta septem volumina ediderat, inscriptio. Dum Smyrnae itaque commoratus est, plures hujusmodi nummos comparavit; quos attentiori cura expendens, ex nominibus & figuris inter se collatis ad rem medicam pertinere cito deprehendit. Cum in patriam autem reversus fuit, sermone de medicinae antiquitatibus forte inter nos incepto, pro ea necessitudine, quae diu mihi cum*

[b] Ibid. p. 32.

[c] Vid. Dissert. not. 38.

eo

eo fuerat, mentem ſuam de his nummis mihi ſtatim aperuit; nec id tantum, ſed & nummos ipſos, una cum quibuſdam in illos obſervationibus, ſe dono mihi promiſit miſſurum; quod & haud ita pridem amiciſſime praeſtitit. Illius igitur beneficio nova haec ad rei nummariae ſcientiam acceſſio prorſus debetur. Cujus etiam de republica literaria optime merendi ſtudio & induſtria, ſi vivat modo & valeat, magnum Graecarum antiquitatum, aliorumque veteris aevi monumentorum Corpus, *nondum publici juris factum*; doctiſſimis *etiam* Commentariis, *tantoque theſauro dignis*, locupletatum, *antiquitatis ſtudioſis expectare licebit. Vale.*

R. M.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

Nummis Quibuſdam

A Smyrnaeis

In Medicorum honorem percuſſis.

IDEM medicae arti, quod & aliis diſciplinis liberalibus, olim uſu veniſſe, ut profeſſores ejus in ſectas diverſas a diverſis, quibus profecti ſint, ſcholis diſtinguerentur, ex antiquis ſcriptoribus manifeſto conſtat. Sectae autem Herophileorum, & Eraſiſtrateorum, quae ab auctoribus ſuis Herophilo & Eraſiſtrato nomen acceperunt, per ſecula aliquot eximia laude celebrabantur. Hujus rei teſtis nobis locupletiſſimus eſt Strabo, cujus verba hic adſcribam. Μεταξὺ τῆς Λαοδικείας καὶ τῶν Καρήρων ἱερόν ἐςι, Μηνὸς Κάρυ καλούμενον, τιμώμενον ἀξιολόγως· συνέσηκε δὲ καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ηροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Αλεξάνδρυ

τῶ Φιλαλήθους· καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ερασιστρατείων ὑπὸ Ικεσίου· νῦν δ' ἐχ ὁμοίως τὶ συμβαίνει [a]. Haec doctiſſimus geographicorum ſcriptor. Cum alteram autem ex his ſcholis *ad ſuam aetatem*, quo tempore Auguſtus Caeſar imperium tenuit; alteram vero ad illam, *quae proxime anteceſſit*, permanſiſſe dicat: ſi a ſectarum auctoribus *Herophilo* & *Eraſiſtrato*, qui ſub initiis Antiochi Soteris, Syriae regis, floruerunt, temporis ſpatium computemus, annos circiter ducentos & ſexaginta complecti invenietur. Caeterum in honorem medicorum, qui alterutri harum ſectarum ſe addixiſſent, nummos, de quibus tractaturi ſumus, percuſſos fuiſſe, nomina illis impreſſa evincent. Etenim tum *Zeuxidem*, tum *Hiceſium*, a Strabone hic memoratos, exhibent. Idem quoque de aliis veterum ſcriptorum auctoritate, qui eos laudant, in ſingulorum explicatione poſtea demonſtrabitur.

PRIMUM autem duplicem nummorum ſeriem, aeneis tabulis inciſam, proferemus; quarum altera medicorum nomina, altera varia deorum ſalutarium ſimulacra repraeſentat. Prior ſigillatim explicabitur; poſterior quatenus lucis aliquid illa altera, ad cujus illuſtrationem adjungitur, ex ea foenerari poſſit. Nummi autem in utraque ſerie ſequenti ratione ordinantur.

[a] Geogr. l. 12. ſub finem.

Medici

Medici in priori ſerie adducti.

XEUXIS.	N. I.	I, II, III.
HICESIUS.	N. II.	I, II.
APOLLOPHANES.	N. III.	I, II.
IATRODORUS. / JASON JASONIS.	N. IV.	I, II, III, IV.
ATHENAGORAS.	N. V.	I, II, III.
SARAPION. / PASICRATES. / METRODORUS PASICRATIS. / HERMOGENES TRICCAE.	N. VI.	I, II, III. IV.

Deorum Salutarium in poſteriori ſerie ſimulacra.

1. AESCULAPIUS ſedens, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, nullo alio nomine adſcripto.
2. Alter priori ſimilis, errore monetarii, ΣΜΥΝΑΙΩΝ.
3. AESCULAPII caput laureatum, in familia Acilia Latina.
4. SALUTIS caput laureatum, in eadem familia.
5. SALUS, in familia Junia. *Vaillant.*
6. SALUS AUGUSTA, coloniae incertae, in nummo Liviae.
7. SAL. AUG. coloniae Novae Carthaginis, in nummo Caligulae.
8. SALUS, in familia Claudia. *Vaillant.*
9. Teſſera ſalutaris, inſcripta ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΚΑΙ ΥΓΙΕΙΑ, cum capite AESCULAPII laureato.

10. Teſſera ſalutaris, cum eadem inſcriptione, & capite HYGIAE laureato.

11. Caput APOLLINIS MEDICI radiatum, cum HYGIA ſedente, & TELESPHORO ſtante, Hierapoleos Phrygiam inter & Lydiam.

12. APOLLO SALUTARIS ſtans, in nummo Treboniani Galli.

13. AESCULAPIUS & HYGIA ſtantes, cum TELESPHORO intermedio, ΒΑΓΗΝΩΝ, in nummo Getae. *Inter num. Gr. Vaill.*

14. AESCULAPIUS ſedens, & HYGIA ſtans, col. Neapoleos Samaritanae, in nummo Philippi ſenioris. *Vaill.*

15. AESCULAPIUS ſerpentis ſpecie Romam advectus, in familia Rubria Latina. *Vaillant.*

16. Caput AESCULAPII ſine corona, adjuncto ſerpente, col. Babbae, in Neronis nummo. *Apud Vaill.*

17. APOLLO CONSERVATOR ſtans, in nummo Claudii Gothici.

18. Idem, cum inſcriptione SALUS AUG. in nummo Gallieni.

19. SALUS ſtans, cum ſerpente tripodi circumvoluto, in nummo Hoſtiliani.

20. Isis cum attributis, & inſcriptione SALUS AUG. in nummo Claudii Gothici.

Medici

Medici Herophilei aut Smyrnæorum Tab I

Erasistratei in Nummis Signati



Nummi Varij ad Aesculapium, Hygiam, Telesphorum et Apollinem medicum spectantes.

Familiæ Iunia *Iuliæ Augustæ*



J. III

Trebonianus

Philippus Sen.

Claudij Gothici

Gallieni Aug.

E

Hostiliani

Claudij Gothici



Qui hos Smyrnaeorum nummos, in priori ſerie collocatos, animo paulo attentiori conſideraverit, ad rem medicam pertinere ut credat, tam a nominibus adſcriptis, quam iſtis, quas exhibent, figuris, facile, opinor, inducetur; quod quo clarius appareat, ad ſingulorum explicationem jam progrediemur.

N. I.

XEUXIS.

1. Nummus aereus moduli tertio majoris, Smyrnae eo tempore percuſſus, quo ludi annui illic ederentur, *ſacri Aeſculapici* vocati; de quibus, quanquam multis poſt annis, in Genethliaco Apellae apud Ariſtidem fit mentio.

In adverſa nummi area: *Caput muliebre laureatum.*

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ. *Aeſculapius ſedens.*

Caput iſtud muliebre videtur eſſe deae *Hygiae*, Aeſculapii filiae, ad inſtar deae Salutis in familiis Latinis Acilia Claudiaque [a], corona laurea redimitum.

Desunt quidem in hoc noſtro capite, quae in iſtis duobus reperiuntur, inauris & monile; ſed pro diverſo colentium ingenio diverſus perſaepe fuit ejuſdem numinis ornatus. Ut igitur Venus aliquando ab ipſa Venere, ita

[a] Vid. Tab. ii. n. 3, 4. Tab. iii. n. 8. Coronatos illic aſpice Aeſculapium & Salutem; itemque in duabus teſſeris ſalutaribus, Tab. iii. 9, 10. Aeſculapium, & Hygiam e muſeo inclyti apud Eſſexienſes baronetti, *Roberti Abdy.*

& Salus a Salute diſcrepabat. Veneri enim in familia Julia, n. 11 & 25. *apud Vaill.* & in Aemilia, n. 13 & 14, nec inauris adeſt nec monile; Saluti in familia Junia nec inauris nec corona [b]. Romanis vero imperatricibus, *Salutis Auguſtae* imaginem prae ſe ferentibus, nulla ſunt hujuſcemodi ornamenta [c]. Simulacra interim deorum ſalutarium, pro diverſitate locorum diverſis modis efficta, non injucundum erit in Tabula ſecunda & tertia contemplari.

Sunt autem, qui hoc caput *Apollinis* eſſe ſtatuunt. Neque eſt, cur Apollinem abnuamus; Apollinem nempe Ιηλεὸν, hoc eſt *Medicum*, vel *Salutarem*, quem una cum Aeſculapio jurari voluit Hippocrates [d]; & de quo decantatur illud Ovidianum, Met. l. 1.

Inventum medicina meum eſt.

Quinetiam huc faciunt certamina, quorum in inſcriptione Ancyrana mentio, ιερων nempe αγωνων των μεγαλοασκληπιειων τε και πυθιων [e]; ſi talia forte certamina Pythia, Aeſculapicis conjuncta, Smyrnae quoque edita putentur. Haec enim pulchram certe occaſionem praebere poterant, hinc caput Apollinis, illinc ſimulacrum Aeſculapii, in eodem nummo percutiendi.

[b] Vid. Tab. ii. num. 5.

[c] Vid. Tab. ii. num. 6. Tab. iii. num. 7. & Theſ. Brand. vol. iii. p. 617.

[d] Ομνυμι Απόλλωνα Ιηλεὸν, καὶ Ασκληπιὸν, καὶ Υγειαν, καὶ Πανάκειαν. Hipp. jusjurand.

[e] Vid. inſcriptionem Ancyrae adhuc extantem, poſt Douſam & Coſſonium a Tournefortio felicius exſcriptam, atque a Montfauconio editam, Palaeograph. lib. 2. c. 6.

Sed

Sed ut, quod res est, plane dicamus; huic de Apolline sententiae obstat effigies ista muliebris, quae nequaquam Apollini competit. Neque, si vetustas recte intelligatur, persona unquam Apollinis muliebris fuit [f]; quanquam non raro tractanti lyram, & talarem pallam induto, habitus ei muliebris, ut Dianae virilis, tribuatur. Haec enim qui descripsere, Ovidius & Tibullus [g], marem nihilominus Apollinem manifesto prodidere. Quorum alter sic incipit, Met. l. xi.

Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus.

Alter vero, l. iii. eleg. 4.

Hic juvenis casta redimitus tempora lauro.

Adde ex Propertio, l. ii. eleg. 23.

Pythius in longa carmina veste canit.

Talis sedet Apollo in lucernis aliquot fictilibus [h]; tali habitu stat in Troadensium & Antiochenorum monumentis [i]; *Actii* etiam, & *Augusti*, & *Palatini* nomine, in imperatoria aliquot numismata traductus. At caput Apollinis mulie-

[f] Bacchum quidem ἄῤῥενα καὶ θῆλυν Orphica dixere carmina, eumque natura δίδυμον Aristides aliique tradidere; at Apollinem semper marem nemo non poetarum celebravit.

[g] Vide eos ad hanc ipsam rem adductos a doctissimo J. C. Schot. in Homericae apotheoseos explicatione Gallicana, pag. 62, 63. Cui tamen minime assentiendum, Domitianum sub Apolline semper juvene muliebrem esse contendenti; & Catullum sic citanti, Epigr. 64. De Aty: *Ego* mulier, *ego adolescens*, *&c.* cum auctor sine dubio scripserit: *Ego* puber, *ego adolescens*, &c. Vide eum pag. 54, & 65.

[h] Thes. Brand. Begeri, Vol. 3. post pag. 442.

[i] Vide Troadem & Antiochiam inter colonias Vaillant, in Caracalla & Philippo seniore; maremque illic Apollinem, quanquam muliebri habitu indutum, ut in Augusti, Antonini Pii, & Commodi nummis, recognosce.

bre ipsi sibi videntur finxisse antiquarii, aut Apollinem semper juvenem pro Apolline muliebri, aut caput aliquod ignotum pro Apollineo venditantes [k]. Sed & isti de Apolline Medico sententiae obstabit corona laurea; obstabit, inquam vel in his nummis, medicorum nomina inscriptis. Corona enim laurea propria quidem Apollinis, sed Vatis, sive Musagetae, fuit; *quo*, si Plutarcho fides, *nunquam utebantur medici* [l]. At Apollini Medico, vel, quod idem, Soli & Paeani [m], aut nulla omnino corona, aut radiata gestabatur. Stat igitur Apollo nunc *Salutaris*, nunc *Conservator* dictus, non laurea, sed strophio revinctus, in Treboniani, Claudii Gothici, & Gallieni nummis [n]. Idemque radiatam gerit coronam sub titulo ΑΔΙΡΒΗΝΟΥ, hoc est, *magnifice illustris*, in numismate Hierapolitano, diis ibi salutaribus, Hygiae & Telesphoro, sociatus [o].

Caeterum fatendum est, non male Aesculapio etiam Musicum Apollinem in nummis aliquando potuisse sociari.

[k] Censuram hoc nomine meruere Ursinus & Vaillant, in familiis Claudia & Volteia. Illud scilicet Callimachi non recte adverterunt:

Καί νιν ἀεὶ καλὸς, ἢ ἀεὶ νέος· ἔπλε Φοίβῳ
Θηλείαις ἁδὺ ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειᾶις.

Ut neque illud Phurnuti, De natura deorum, cap. De Apolline: Ἀπόλλωνα ἄῤῥηνα ἀνεπλάσθη —— βρέφους δ' ἡλικίαν ἔχει —— κάλλιστος γὰρ ὀφθῆναι. Nihil igitur in Apolline muliebre somniaverunt veteres, nisi figurate solummodo, ob eximiam ejus pulchritudinem & perpetuam juventam.

[l] Τὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα, καὶ Ἀπόλλωνι Παιᾶνι χρωμένους πάντα, Μισηγέλη μηθέν. Sympos. lib. 9. quaest. 14.

[m] *Eadem opinio* [Apollinis] *Sospitalis & Medici dei in nostris quoque sacris fovetur. Namque Virgines Vestales ita indigitant:* APOLLO. MEDICE. APOLLO. PAEAN. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 17.

[n] Conferantur nummi Tab. iii. 12, 17, 18.

[o] Vid. ejusdem Tab. numm. 11. desumptum e Thesauro Britannico Haymiano, Vol. ii. pag. 112. occurrentem etiam apud Tristanum, Patinum, & Harduinum.

Nam,

Nam, ut teſtatur Plato in Ione, *Epidaurii in ludis Aeſculapicis rhapſodorum, & cujuſvis generis muſices, certamina iſti ſuo numini poſuere.* Idemque videntur feciſſe Colophonii, quorum nummi in antiquariorum ſcriniis ſervantur, hinc noſtro ſimilem Aeſculapium, illinc ſtantem ſuum Apollinem, & lyra inſignem, oſtentantes.

His ita poſitis, viderit eruditus lector, num caput hoc Apollini, an deae Hygiae ſit potius tribuendum; Hygiae, inquam, in urbe Smyrna [p], ut in Epidauro, Titana, Pergamo, ſocium cum Aeſculapio cultum & commune templum ſortitae. Deveniendum igitur ad alteram nummi aream, in qua inſcribitur:

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ. *Xeuxis* (vel *Zeuxis*, ut fere in editis libris ſcribitur) *Herophileus*, ſicut a Strabone docemur [q], magnae iſtius prope Laodiceam ſcholae magiſter, [r] Erotiano, ut *Exegeticorum auctor*, laudatur; hic vero ut

p Quod de aliis multis urbibus Pauſanias, id quoque de urbe Smyrna clare docuit Ariſtides, Orat. ſacr. 3, & 4. ibi nempe in templo Aeſculapii, ſacrata fuiſſe ſacella & ſimulacra tum ipſi Aeſculapio, tum diis etiam σωναίοις, Hygiae & Teleſphoro. In tertia orat. ita ſcribit: Επεὶ δ' ἐλθὼν εἰς τὸ ἱερὸν [templum intellige Aeſculapii] γίγνομαι περιὼν κ᾽ τὸν τελεσφόρον, ἐπέρχεται ὁ νεωκόρος Ασκληπιακός. —— Καὶ παρελθὼν εἰς Ὑγιείας νομίζει τὸ χρῆμα ἰυωδίας θαυμαστὸν ὅιον. In quarta vero: Εϛὶν ὁ τρίπους ὑπὸ δεξιᾷ δ᾽ θεᾶ εἰκόνας χρυσᾶς ἔχων τρεῖς, μίαν Ασκληπιᾶ, τὴν δὲ Ὑγιείας, τὴν δὲ Τελεσφόρε. Haec tria numina ſalutaria, Aeſculapium nempe, Hygiam, & Teleſphorum in Bagenorum nummo, Tab. iii. n. 13. ab *Caio* eorum *pontifice* publicata, contemplare, lector; Aeſculapium & Hygiam n. 14. Hygiam vero & Teleſphorum n. 11.

q Verba ſunt Strabonis lib. 12. ſuperius citata: Διδασκαλεῖον Ηροφίλειον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος.

r Vide eum in voce Καμμάρῳ: Ζεῦξις μὲν ἓν ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐξηγητικῶν. Iterumque inferius paulo, τὰς περὶ τ Ζεῦξιν non ſine honore nominat. Sed &conſulendus de *Zeuxide* Galenus.

Aeſculapii ſacerdos [s] (& forte ut Smyrnae urbis medicus [t]) inſcribitur. Adeſt enim in eadem area *ſimulacrum Aeſculapii ſedentis*, apud Smyrnaeos *Jovis Aeſculapii* [u] titulo ſacrati,

[s] Sacerdotum Aeſculapii dignitas apud Smyrnaeos ſaepe in ſacris Ariſtidis Orationibus mentionem merita eſt; ut etiam in inſcriptione Smyrnenſi, inter Marm. Oxon. n. 46. Τ. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΔΙΚΙΝΝΙΑΝΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. Huic, credo, ſacerdoti, celebratis ludis ſacris Aeſculapicis, permiſſa fuit annua poteſtas nummos huc ſpectantes proprio ſuo nomine ſignatos emittendi. Porro, ut ex Ariſtide intelligimus, in Orat. ſacr. prim. erat quoque apud Smyrnaeos Ασκληπιακὸς ἰατρός. Quo titulo neſcio quid melius indigitari poſſit, quam *medicus ſacerdos Aeſculapii*. Niſi quis malit Ασκληπιακὸν τὸν ἰατρὸν fuiſſe ludorum Aeſculapicorum medicum, cujus erat athletarum corpora ad certamen praeparare, & mutilata poſt certamen medicari. Tales apud Gruterum occurrunt in inſcriptionibus Latinis ludorum magnorum, factionum item Venetae & Ruſſatae medici, pag. CCCXXXIV, CCCXXXV, CCCXXXIX. Notum eſt etiam in nummis Aſiaticis adſcribi ſacerdotis nomen cujuſvis numinis ſimulacro; ut in iſto Bagenorum, cum Aeſculapio, Hygia, & Teleſphoro, ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΑΡΧΙερεως, Tab. iii. n. 13. item in alio Samiorum circa Mercurii effigiem, ΕΠΙ ΑΥΣΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕ— Tournefort. Itin. Epiſt. x. & in Philadelpheno, qui hinc caput Dianae exhibet, illinc Apollinem ſedentem, adſcriptis vocibus, ΕΡΜΙΠΠΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, Theſaur. Brit. vol. ii. p. 157. Ubi, nequis putet pontificatum fuiſſe ſummum urbis magiſtratum, vetat inſcriptio Philadelphena nondum vulgata: ΑΥΡ. ΕΡΜΙΠΠΟΝ. ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ. ΙΕΡΕΑ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ——ΑΡΧΙΕΡΑΣΑΜΕΝΟΝ. ΕΝΔΟΞΩΣ——ΑΡΞΑΝΤΑ. ΤΗΝ. ΠΡΩΤΗΝ. ΑΡΧΗΝ. ΕΠΙΦΑΝΩΣ. Falluntur igitur, qui conſpecto in his nummis perſonae nomine, confeſtim illud magiſtratus eſſe putant. Cum iis, quae hic diximus, conferri etiam poſſunt, quae infra not. 25, 26. de initiatione quadam & ſacerdotio medicorum, ex Ariſtide & Caſſiodoro adferemus. Sed praeter ſacerdotium, alios quoque in ſuis urbibus honores obibant inſigniores medici. Unde Epheſii in inſcriptione inedita collaudant Aſclepiadis filium ΠΙCΙCΚΟΝ. ΦΙΛΟCΕΒΑCΤΟΝ. ΑΡΧΙΑΤΡΟΝ. ΔΙΑ. ΓΕΝΟΥΣ. ΝΕΟΠΟΙΟΝ—ΒΟΥΛΕΥΤΗΝ. κ. τ. λ.

[t] Et haec quoque, aeque ac ſacerdotium Aeſculapii, eminuit apud Smyrnaeos dignitas. Unde in Smyrnenſi marmore inſcriptum eſt honoris ergo: ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΑΤΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ: pro quo ΙΕΡΟΥ inter Oxonienſia marmora, p. 301, & Sponii Miſcell. pag. 351. mendoſe legitur. Vid. Memoriam Coſſonianam pag. 150. De medicis vero urbium & archiatris, ad dignitatem iſtam a loci ordine promovendis, conſulatur Cod. Juſtin. tit. *De profeſſoribus & medicis.*

[u] Smyrnaei Aeſculapium ſuum rerum omnium potentem ſomniantes *Jovis* titulo inſignivere. Ασκληπιῦ δυνάμεις μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ, μᾶλλον δὲ ἅπασαι——καὶ Διὸς Ασκληπιῦ νεὼν οὐκ ἄλλως ὁι τῇδε ἱδρύσαντο. Ariſtides, Hymno ad Aeſculapium, & ſaepius

ſacrati, *caput ſtrophio revincti*[x], *palliati*[y], *ſmilam*, hoc eſt, gladiolum chirurgicum, *manu ſiniſtra habentis*[z], *dextram* vero *labia verſus admoventis*, eoque arcana

ſaepius in Orationibus ſacris. Parem & Serapidis potentiam plerique crediderunt, teſte Tacito, lib. 4. cap. 84. Unde extat in Gaza Medicea nummus ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ inſcriptus. Smyrnaeis vicini Colophonii tutelarem ſuum Apollinem in adverſa nummi area, & in averſa Jovem quoque Aeſculapium (ut paulo ſupra obſervavimus) adjecto ſacerdotis nomine, percuſſerunt. Cujus generis eſſe nummum iſtum licet conjicere, qui inter eos ex Fulvii Urſini bibliotheca publicatos, Pythei nomine inſcribitur. Erraſſe igitur in nummi illius explicatione videtur Faber, qui ſedentem imaginem ipſius eſſe *Pythei* exiſtimet; quem & poetam Colophonium fuiſſe ſtatuit. Neque minus, opinor, fallitur, cum figuram in adverſa nummi parte lyram tenentem, non Apollinem, ſed *Muſam* eſſe cenſeat. Caeterum cum alter nummus in Galliae regis theſauro (ut refert Gronovius) voces habeat inſcriptas: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΥΘΕΟΣ: Pytheus hic utriuſque civitatis ſacerdotio cumulatus, nec male forſan ad noſtram etiam Smyrnenſium medicorum claſſem referri poſſe credatur. Etenim non inuſitatum fuiſſe pluribus civitatibus inſignes viros adſcribi, inter alia ejus rei documenta tres *Attali ſophiſtae* nummi oſtendunt, in quibus inſcriptio illa legitur: ΑΤΤΑΛΟC CΟΦΙCΤΗC ΤΑΙC ΠΑΤΡΙCΙ CΜΥΡ. ΑΑΟ. Vid. illuſtriſ. Spanhem. De Veſta, &c. apud Seguin. p. 341. De *Pytheo* autem conſulere licet Gronov. Theſ. Ant. Gr. vol. iii. plag ddddd.

Sedere Jovi proprium, ideoque & Jovi Aeſculapio, ut in noſtro, & Neapolitanorum nummo, Tab. iii. n. 14. Stantem autem Aeſculapium Pergameni aliique multi coluere. At Smyrnaeus Epidaurio magis acceſſit, de quo Pauſanias in Corinth. Κάθηλαι ἐπὶ θρόνυ βασιληΐαν κεφαλῶν.

[x] Caput ſtrophio revinciri frequentiſſimum in Jove ſedente, ſed neque rarum erat in aliis quoque numinibus ornamentum. Vid. ſupra not. [n]

[y] Is fuit Aeſculapii habitus, luculenter illud teſtante Tertulliano, De pallio cap. 4. *Ipſum hoc pallium moroſius*, inquit, *compoſitum, & crepidae Graecarum Aeſculapio adulantur.*

[z] Οὗ ἐγχειρίδιον ἔχει ὑπὸ μάλης, de Aeſculapio inquit Ariſtides, Orat. ſacr. 4. Ἐγχειρίδιον autem hoc *ſmilam* voco, auctore eodem Ariſtide, cui apparuit Serapis, compar Aeſculapio numen, σμίλην τιν' ἔχων, ὥσπερ κάθηλαι ἐν τῷ χήμαλι. Eſt vero *ſmila*, ſive *ſmilium*, gladiolus ἰατρικὸς χειρώδης, quem & σηθοειδῆ vocat Hippocrates; & ὀξυβελεῖ, ſive τῷ φλεβοτόμῳ opponit, libro de Morbis ſecundo. Vide Galeni Expoſit. Hippocraticarum λέξεων, in voce Μαχαιρίδι σηθοειδεῖ. Latum hujuſmodi gladiolum medici Herophilei & Eraſiſtratei in manu Aeſculapii ſacravere, eo potiſſimum indicio tanquam anatomices eum inventorem recolentes, & infirmorum per ſectiones ſanatorem. Tertiam enim in Aeſculapio potentiam Pindarus hoc modo cecinit: Τὰς δὲ τομαῖς ἔσησεν ὀρθάς. Pyth. 3. Atque ob hanc cauſam DEO AESCULAPIO ENCHIRIDIUM

arcana ſcientiae medicae[a], & juratum ab ejus candidatis ſilentium ſignificantis[b]. Eminet *a dextro latere baculi protenſi apex*[c], & *ante pectus aſtrum*[d].

2. NUMMUS aereus moduli tertii. In adverſa area: *Caput turritum Matris Deorum Sipylenae*[e], tutelaris

ARGENT. dedicatum cernimus, Inſcript. Gruter. LXX. 8.

[a] Arcana ſuae ſcientiae habuere medicinae filii, iisdemque ſacro ſub ſilentio initiabantur, Pergami praecipue, ſub tutela Aeſculapii Aſiatici, quem eo nomine Μυσαγωγὸν appellat Ariſtides, mirumque in modum extollit jus illud, εἰς Ἀσκληπιῶ τε συμφοιτῆσαι, καὶ τελεσθῆναι τὰ πρῶτα ἱερῶν ὑπὸ τῷ καλλίστῳ καὶ τελεωτάτῳ δαδούχῳ καὶ μυσαγωγῷ. Orat. De concordia urbium.

[b] Inſtitutum olim ab Hippocrate jusjurandum, ἃ δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, σιγήσομαι, ad ſera uſque tempora perduravit. Ita enim in Epiſtola ſecunda ad Nepotianum Hieronymus: *Hippocrates adjurat diſcipulos, antequam doceat; & in verba ſua jurare compellit; & extorquet ſacramento ſilentium.* Caſſiodorus quoque in formula comitis archiatrorum, lib. 6. cap. xix. *In ipſis hujus artis initiis quaedam ſacerdotii genere ſacramenta nos conſecrant.* Haec igitur ſacramenta, digito ad os admoto, cultoribus ſuis innuit Aeſculapius, quod & apud Aegyptios fecit Harpocrates, apud Latinos dea Angerona.

[c] Baculus iſte, quanquam ſolito aliquanto longior, proprium tamen eſt geſtamen Aeſculapii, ut in antiquis apud Choulium & Chauſſeum ſimulacris. Quod vero ſerpente deſtituatur, id habet cum ſimulacro dei Epidaurii commune. Contra autem, ut baculus ſine ſerpente, ita ſerpens ſine baculo Aeſculapio nonnunquam adjungitur. Vid. Tab. iii. n. 16. Quod & deae Salutis fuit inſigne diverſimode depictum, Ibid. n. 11. 13. 19. & Tab. ii. n. 4.

[d] Hujuſmodi aſtro ſolem non improprie deſignari demonſtrant Elagabali nummi, & ſacra Mithrae monumenta; ad ſolem vero Aeſculapium, i. e. ἰαλρικὴν δύναμιν, referri notum eſt in gentilium theologia. Sic igitur Proclus in Timaeum, lib 1. pag. 49. Ἀσκληπιὸν ἐν ἡλίῳ θεῖον. Fuerunt etiam, qui Aeſculapium pro ipſo ſolis numine habuerint. Unde quaerit non immerito Euſebius, Praep. Evang. lib. 3. cap. 11. Πῶς δὲ ἥλιος ὢν [Ἀσκληπιὸς] καὶ αὖτε ἐξ ἡλίου υἱὸς πάλιν ἀποφαυθείη; Vide gemmam huc ſpectantem, in qua imago Aeſculapii, hinc lunula, illinc aſtro, ſolis ſymbolo, delineatur, apud Beger. Theſ. Brand. vol. 1. pag. 17.

[e] Eam urbs utraque juravit in Smyrnaeorum & Magnetum foedere, v. 60, 61, 71. ΟΜΝΥΩ ΔΙΑ ΓΗΝ— ΚΑΙ ΤΗΜΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. h. e. *Juro Jovem, Tellurem, & Matrem Sipylenam.* Ubi in Marm. Oxon. male vertitur: *Juro per terram* &c. Quibus verbis etiam deceptus videtur illuſtriſ. Spanhemius, cum ea adducit, ut civitates iſtas per *Terram*

laris Smyrnaeorum numinis [f].

In averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ. Idem ille, qui in priore nummo, *Zeuxis*; hic quoque ut deae *Iſidis*, ſanitatis praeſidis, ſacerdos, idque ob pompam Iſiacam cum ludis Aeſculapicis conjunctam. Conſpicitur enim in eadem area *ſimulacrum Reginae Iſidis* [g], ſocium cum Magna Matre honorem [h], eandem ac Aeſculapius potentiam, [i] & celebrem

ante alios deos deaſque juraſſe oſtendat. De Veſta & prytanibus Graec. ap. Seguin p. 362. Nam διὰ praepoſitio in jurando genitivo caſui adjungitur, ut apud Demoſth. Διὰ πυρὸς ὀμνύειν. Templum ejus nobiliſſimum, Μητρῷον Smyrnaeis dictum, Ariſtidi vero ναῶν ὁ κάλλιστος—τῆς εἰληχυίας θεᾶ ϟ πόλιν, ſitum, erat in plano urbis prope portum & gymnaſium, templumque in eo Jovis Aeſculapii. Vid. eum, Orat. Smyrn. politic. & De concord. urb.

[f] Hoc eſt, quod voluit Ariſtides in praenotatis iſtis: τ᾽ εἰληχυίας θεᾶ ϟ πόλιν. Unde etiam inter deos, quos S. C. & conſtitutionibus principum haeredes inſtitui conceſſum fuit, enumerari invenimus, *Apollinem Didymaeum*, *Dianam Epheſiam*, *Matrem Deorum Sipylenſem*, *quae Smyrnae colitur*. Ex corp. Ulp. tit. 22. §. 6.

[g] Quo jure poſt Oſirim, & quanta cum laude regnavit Iſis, docet Diodorus, lib. 1. Hic igitur regiam ejus dignitatem oſtentat ſceptrum, manu dextra elevatum. Ejus numen unicum (teſte ſeipſa apud Apuleium, Aſ. aur. lib. xi.) *multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus venera-batur orbis.* At *Aethiopes*, *Ariique*, *priſcaque doctrina pollentes Aegyptii appellabant vero nomine Reginam Iſidem.*

[h] Multa hoc teſtantur antiquorum monumenta, praecipue in inſcriptione Gruteriana xxvii. 2. MATRI DEUM ET ISIDI commune fanum. Porro unum utriuſque numen, ſociatis in eodem ſimulacro ſymbolis, colebatur Romae, in circo maximo, inſigne capite turrito, leonem in ſublimi agitans, & ſiſtrum manu attollens. Vid. numm. Neronis & Trajani apud Onuph. Panvin. De lud. circenſ. l. 1. c 13.

[i] Eundem quidem ac Aeſculapius honorem habuit Iſis, ſed & antiquiorem. Nam, teſte Diodoro, lib. 1. Φασὶν Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγίειαν εὑρέτιν γεγονέναι—διὸ ϟ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιϛα χαίρειν—εὑρεῖν δὲ αὐτὴν ϟ τὸ τ᾽ ἀθανασίας φάρμακον—Τὸν δὲ Ὧρον μεθερμηνευόμενον Φασὶν Ἀπόλλωνα ὑπάρχειν, καὶ τήν τε ἰαϱικὴν ϟ ϟ μαντικὴν ὑπὸ τ᾽ μητρὸς Ἰσιδ@ διδαχθέντα, Διὰ τῶν χρησμῶν ϟ θεραπειῶν διεργητεῖν τὸ τῶν ἀνθρώπων γέν@—τήν τε ἰδίαν ἐπιδεικνυμένην ἐπιφάνειαν, ϟ τὸ πρὸς δεομένους τῶν ἀνθρώπων ἐνεργετικὸν—ὅταν πρὸς

celebrem in urbe Smyrna cultum ſortitae [k]. *Stat* illa *habitu ſtolata, caput calatho ornata* [l], *dextra manu ſceptrum attollens, laeva cippo innixa, eademque victoriolam alatam ſuſtinens, quae & ipſi coronam porrigit*, talem ſcilicet Reginam Iſidem recognoſcens, qualis in inſcriptionibus celebratur, i. e. DOMINAM VICTRICEM, & TRIUMPHALEM. Grut. LXXXIII, 14. LXXXIV, 2. *Adſtat ad pedem cippi avis*, manifeſtius in aliis nummis conſimilibus *anſeris* ſpeciem praebens [m].

3. NUMMUS aereus moduli tertio minoris. In adverſa area: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* nummo.

IN averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΖΕΥΞΙΣ. Idem ille *Zeuxis* hic etiam, ut deae *Iſidis* ſacerdos. Adſunt enim in eadem area ſacra illa Iſiaca, ab antiſtitibus in pompa Iſidis attolli & geſtari ſolita; *palmae* nempe *ramus*, & ex cavo aere *ma-*

ταύτην τὴν θεὸν καὶ αφεύγουσιν. Hinc nata Iſidis Salutaris, non minus quam Fructiferae, & Theſmophorae religio; templa Iſidis per univerſam Graeciam templis Aeſculapii conjunctiſſima; inſcriptiones Romanae ISIDI SALUTARI; nummi denique (qualis eſt Claudii Gothici, Tab. iii. 20. cum epigraphe, SALUS AVG.) Iſida cum ſymbolis oſtentantes.

[k] Memorat quidem Ariſtides τῆς Ισιδος τῆς ἐν τῇ Σμύρνῃ ἱερέα, Orat. ſacra prima. Et in tertia ait: Ἐλθόντων τῇ Ισιδι καὶ τῷ Σαραπιδι ἐν τῷ τῆς Ισιδος ἱερῷ, λέγω τοῦτο ἐν Σμύρνῃ γενόμενον. ἐξιόντι δέ μοι τὰ προπύλαια προσερρύησαν χῆνες δύο τῶν ἱερῶν.

[l] Horum utrumque Hygiae noſtrae & Iſidi ex aequo competit, ut videre eſt in nummis Tab. iii. n. 11, 13, 20.

[m] Anſeres in Iſidis templo, gratior ei victima futurae, paſcebantur. Teſtatur hoc apud illuſtriſſ. Spanhemium, p. 307 miniſter Iſiacus bene anſeribus oneratus; & Artemidorus, ab eodem adductus, in Oneirocriticis, l. 4. c. 85; praeter χῆνας τὰς ἱερὰς Ariſtidis noſtri, jam ſub nota [k] obſervatos.

nus ſiniſtra deformata, porrecta palmula [n], aequitatis in Iſide Theſmophora, ſive legum praeſide, indicium [o].

At ſiquis forte fuerit, qui manum hanc ſiniſtram ceſtui ſimiliorem putet, & nummum ea ratione ad pugilatum referri malit; id ipſum equidem ab Aeſculapii & Hygiae myſteriis nullo modo alienum judicamus. Etenim *dormienti cuidam pugili* Smyrnaeo [p] *Aeſculapius arcana quaedam pugilatus praemonſtraſſe dicitur, quibus ille inſtructus celebrem quendam adverſarium proſtravit*, palmamque, ut par erat, praemium victoriae retulit. Vid. Ariſtid. in Λαλιᾷ πρὸς Ασκληπιόν.

[n] Ita ſcilicet Apuleius in Aur. aſ. lib. xi. pompam Iſidis percurrens: *Ibat tertius* [Iſidis antiſtes] *attollens palmam auro ſubtiliter foliatam, nec non Mercurialem etiam caduceum. Quartus aequitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram, porrecta palmula; quae genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia praedita videbatur, aequitati magis aptior, quam dextera.* Cui quidem plene ſuccinit Macrobius, manus ſiniſtrae myſterium non ſolum ad aequitatis, ſed etiam ad ſalutis officia pertrahens, *quod ad noxam ſit pigrior, & ſalutem ea manus promptior largiatur.* Saturnal. lib. 1. cap. xvii.

[o] Pari ratione & nummum aureum priori noſtro in multis ſimillimum, Smyrnaei deae Iſidi Theſmophorae percuſſere; hinc matris Sipylenae capite, illine ſtantis Iſidis figura, & epigraphe ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ inſignitum. Quid enim? ad Prytanes ſpectabat juris & aequitatis adminiſtrationi ſub Iſide legum praeſide proſpicere. Hanc tamen ſtantis Iſidis figuram Seguinus ad *Smyrnam Amazonem*, Spanhemius ad *Veſtam* detorſere. Quod quidem citra omnem doctiſſimorum virorum culpam admiſſum cenſeo; cum nempe eorum nummo non adeſſent certiora illa deae Iſidis indicia; in manu dextra ſceptrum, ad pedes anſer. Vide Spanhemii de hoc nummo, & de Veſta, &c. Diatriben; Diodorum vero Siculum de Iſide Theſmophora, lib. i. 39.

[p] Εφ' ἡμῶν inquit Ariſtides, h. e. *e civitate noſtra*, non ut alias, *noſtro tempore*.

N. II.

HICESIUS.

1. NUMMUS aereus moduli tertio majoris. In adverſa area: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* nummo.

IN averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ. *Hiceſius ſcholae medicorum Eraſiſtrateae in Smyrna urbe magiſter* fuit, ut e Strabone ſupra oſtendimus[q]; Plinio *non parvae auctoritatis* habitus, l. XXVII. c. 4. ab Athenaeo quoque ſaepiuſcule[r], & Tertulliano De anima c. 25. laudatus; ut ſacerdos Aeſculapii hic inſcriptus. Adeſt enim, ut in primo *Zeuxidis* Herophilei nummo, *ſimulacrum Aeſculapii* ſimili plane typo; niſi quod ante ſimulacrum non conſpicitur *aſtrum*, neque extat pone humerum *bacillus*; quae non modo in *Zeuxidis*, ſed etiam in *Iatrodori*, & *Athenagorae* nummis comparent. Deſunt autem, ut in hoc *Hiceſii*, ſic in illis quoque *Jaſonis*, *Paſicratis*, *Metrodori*, & *Hermogenis*. At in iis *Apollophanis*, & *Sarapionis* nomine inſignitis, *bacillus* quidem, ſed non *aſtrum*, adſpicitur. Ea nimirum apud veteres fuit diverſitas in ſymbolis eidem numini attributis. De qua re nonnihil ſupra obſervavimus[s]. At quid ſi dicamus, Herophileos Aeſculapio ſuo aſtrum, ut ſectae indicium, Eraſiſtrateos non item, adfinxiſſe? Mihi ſane, quantum ex nummis hac-

[q] Vid. pag. 26.
[r] Occaſione libri ab Hiceſio ſcripti, | περὶ ὕλης h. e. *De alimentorum materia*.
[s] Vid. pag. 35.

tenus

tenus inſpectis obſervare potui, vero haud diſſimile videtur. Nihil autem certi de hac re in praeſentia ſtatuo; ſed potius ut conjecturam deliciarum hujuſmodi ſtudioſis propono, dum amplior nummorum copia magis exploratum aliquid, anſamque decernendi praebeat.

2. NUMMUS aereus moduli tertii [c]. In adverſa area: *Caput turritum Matris Deorum Sipylenae*, ut in ſecundo *Zeuxidis*.

IN averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΚΕΣΙΟΣ. Idem ille *Hiceſius* medicus, hic quoque ut ſacerdos *Iſidis*; cum *eadem*, ac in parili nummo Zeuxidiano, *ſtantis Iſidis figura*.

N. III.

APOLLOPHANES.

1. NUMMUS aereus moduli tertii. In adverſa area: *Caput idem muliebre laureatum*, ac in primo *Zeuxidis* & *Hiceſii* nummo.

IN averſa: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ ΕΡΟΒΙΤΗΝΟ. *Sedet* etiam hic *Aeſculapius*, ut in iis *Zeuxidis* & *Hiceſii*. *Apollophanes* autem *genere Seleucenſis Antiochi magni medicus fuit*, ut diſcimus a Polybio, lib. v. Qui & *eximie regi dilectum fuiſſe* ſcribit, idque non artis tantum cauſa, ut

[c] Ex muſeo honoratiſſimi Comitis de *Winchelſea*.

videtur,

videtur, ſed etiam ſapientiae & in rebus arduis conſilii prudentis. Etenim cum Antiochus conſultandum amicis propoſuit, ecqua potiſſimum via impreſſio in Syriam eſſet tentanda, rejectis aliorum ſententiis, ea Apollophanis omnibus praelata fuit. Floruit Apollophanes ann. ante Chriſtum ccxx. cui nummum hunc tribuerem. Quod ut faciam, eo etiam magis adducor, quia *Apollophanes*, ut *ſectator Eraſiſtrati*, a Caelio Aureliano memoratur, Acut. morb. l. II. c. 33. *Apollophanem* quoque ut *medicum* laudat Celſus, l. v. c. 18. ut *ſcriptorem* Plinius, l. xxii. c. 21. In voce autem imperfecta EPOBITHNO.. latet, opinor, patris nomen. Alter fuit *Apollophanes* Arcas, & is quoque Aeſculapii numini addictus, teſte Pauſan. in Corinth. c. 26.

2. NUMMUS aereus moduli tertii. In adverſa area: *Caput turritum Matris Sipylenae.*

IN averſa: ΣMYPNAIΩN ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ. *Iſidis ſtantis imago*, ut in ſecundo *Zeuxidis* & *Hiceſii* nummo.

N. IV.

IATRODORUS. JASON JASONIS.

QUATUOR nummi aerei, quorum tres priores tribus *Zeuxidianis* omnino ſimiles. In averſa parte inſcripti: ΣMYPNAIΩN IATPOΔΩPOΣ, adaptato ſcilicet ad medicinae profeſſionem *Iatrodori* nomine.

IDEM

IDEM & in quarto nummo obſervare licet, ſic inſcripto: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΑΣΩΝ ΙΑΣΟΝΟΣ: hoc eſt, *Jaſon Jaſonis filius*. In eadem enim familia vigebat ut plurimum medicina, filiis & filiorum filiis a patribus per manus tradita. Quo nomine Aſclepiadarum, h. e. *medicorum gens*, non immerito laudatur ab Ariſtide, ποιησάμενοι nempe τὰς παῖδας συνεργὸς τε καὶ διαδόχους τῆς σφετέρας ἐπιστήμης — καὶ ἐκ Μαχάονος ἀρξάμενοι καὶ Ποδαλειρίου — τὴν τοῦ προγόνου διασωσάμενοι τέχνην, ὥσπερ ἄλλοτι σύμβολον τοῦ γένους. Orat. in Aſclepiadas. E noſtris igitur medicis alii ſibi titulum aſſumunt a locis Aeſculapio dicatis, *Tricca* puta, aut *Titana*; alii vero a patribus, medicinae ſtudio celebratis, ut hic *Jaſon Jaſonis*, item *Metrodorus Paſicratis*, de quo mox: ne plures jam commemoremus. Hinc & apud Latinos, teſte Plinio, l. XXIX. c. 1. tum aliae quaedam familiae, tum & *Rubria* medicinae profeſſione erat celebris. Quod & nummus in ea familia teſtatur *apud Vaillant*, exhibens Aeſculapii ab Epidauro ſub draconis forma advectionem[a]; qualis ab Ovidio in Metam. XV. celebratur, ab Arnobio autem lib. VII. non minore ingenio refutatur. *Jaſonem*, Menecratis Nyſaei filium, Poſidonii philoſophi e filia nepotem, diſcipulum, & in ſchola Rhodenſi ſucceſſorem, memorat Suidas in voce Ἰάσων. Quem etiam *vitas illuſtrium virorum, philoſophorum ſucceſſiones*, aliaque ſcripſiſſe dicit. Poſidonium autem iſtum, Stoicum,

[a] Vid. Tab. iii. n. 15.

ac Ciceronis praeceptorem Rhodi fuiſſe, in hujus vita tradit Plutarchus. Veruntamen num *Jaſon* ille Menecratis medicinae etiam operam dederit, noſtrique *Jaſonis* pater fuerit, necne; aliis, quibus plus ſit otii, diſquirendum relinquimus.

N. V.

ATHENAGORAS.

Tres alii ex aere, *Zeuxidianis* pariles, inſcripti: ΣΜΥΡ ΝΑΙΩΝ ΑΘΗΝΑΓΟΡΑΣ: adjecto *ad pedem cippi prope ſtantis Iſidis figuram*, eoque jam planius delineato, *anſere*. Smyrnae enim in templo Iſidis ea avis deae ſacra paſcebatur; & aegrotans toties Ariſtides, ſanitatis recuperandae ergo, geminos ei anſeres immolabat, uti ſupra oſtendimus, p. 44. Quiſnam fuerit hic *Athenagoras*, aut quo tempore vixerit, nondum comperimus. Sed cum iidem plane honores, qui *Zeuxidi* & *Iatrodoro*, in tribus ei nummis tribuantur; ut inter Iſidis & Aeſculapii ſacerdotes, ita quoque in medicorum illum numero habere nullo modo dubitavimus.

N. VI.

SARAPION, PASICRATES, METRODORUS PASICRATIS, HERMOGENES TRICCAE.

Quatuor alii ejuſdem generis nummi aerei, in quibus idem ac in prioribus *caput laureatum*, & in area oppoſita *Aeſculapius ſedens* conſpicitur.

1. Primus

1. PRIMUS inſcribitur: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΩΝ. *Sarapion* hic idem eſſe poteſt, qui apud Celſum in prooemio *Serapion* appellatur. Eſchola *Eraſiſtrati* illum primo prodiiſſe, ex Caelii Aureliani verbis conjectari licet, qui de *tormento* loquens, eum *ſimilia Eraſiſtrato ordinaſſe* dicit. Acut. Morb. l. III. c. 17. Neque his contradicere exiſtimanda ſunt, quae Celſus loco jam dicto tradit: *Serapion primus omnium nihil rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, in uſu & experimentis eam poſuit*[y]. Nihil enim prohibebat, quo minus & Eraſiſtrateorum & Herophileorum placitis ἐμπειρικὴ etiam admiſceretur. Sed & in aliquammultis forte *Serapion* ab *Eraſiſtrato* diſceſſit; ut ab *Herophilo* magiſter Herophileae ſcholae *Alexander*, Φιλαλήθης inde cognominatus.

2. SEQUITUR ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ. *Paſicrates*, Menodori Eraſiſtratei frater, ipſe quoque fuit *Eraſiſtrateus*; quod demonſtrant duo in eadem nummi area adjecta monogrammata, unum urbis *Smyrnae*, alterum ſcholae *Eraſiſtrateae*. Legitur autem apud Athenaeum, l. II. c. 18. Μηνόδωρος ὁ Ερασιστράτειος, Ικεσίου φίλος. Et in inſcriptione Ancyrana: ΚΑΠΙΤΩΝΙ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ—

[y] Haud ignoro ſane, quae ſcribit Galenus, Introduct. c. 4. Τῆς ἐμπειρικῆς προέσησεν Φιλῖνος Κῶος, ὁ πρῶτος ἀυτὴν ἀπολεμνόμενος ἀπὸ τῆς λογικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀφορμὰς λαβὼν παρὰ Ηροφίλου, ὃς ἦ ἀκμῆς ἐγένετο——Μετὰ Φιλῖνον ἐγένετο Σεραπίων Αλεξανδρεύς. At Celſo hic, ut multo antiquiori, fides potiori jure debetur.

ΠΑΣΙΚΡΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ ΥΙΟΙ ΑΥΤΟΥ. *Pàſicratem* etiam *De re chirurgica* auctorem memorat Oribaſius, lib. De machinament.

3. Huic tertius affinis, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ: hoc eſt, *Metrodorus Paſicratis filius*. Unde innoteſcit in familia Paſicratea profeſſorum ſucceſſio.

4. Agmen claudit ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΤΡΙΚΚΑΣ. *Hermogenes* autem, *Triccae* nomine adſcripto, natalitia ſua in ea urbe notari voluit; ideo forte, quia urbs Tricca non ſolum Aeſculapio ſacra, ſed & eidem natalis fuit. Sic enim oraculum ab ipſo Aeſculapio editum:

Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω θεὸς, ὃν πότε μήτηρ
Φοίβῳ ὑπευνασθεῖσα κύει σοφίης βασιλῆα,
Ἰδρὶν ἰήλοείης Ασκληπιόν. Euſeb. Praep. evang. l. III. c. 14.

Tricca igitur urbs Theſſaliae, & vicina ei *Ithome*, tanquam patria & ditio Aſclepiadarum, hoc eſt Aeſculapii filiorum, Podalirii & Machaonis, ab Homero in Catalogo celebrantur, Il. β. v. 729.

Οἱ δ' εἶχον Τρίκκην, ἠδ' Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ασκληπιοῦ δύο παῖδε.

Hermogenem autem medicum *Eraſiſtrateum* laudat Galenus. Item *Hermogenis medici, Charidemi filii*, meminit inſcriptio lapidis *Sherardiani*, qui Smyrnae prope lacum

Alco

Alco bonar dictum, ubi gymnaſium olim fuerat, & templum Aeſculapii, reperiebatur.

ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΙΗΤΡΕΙΗΝ ΑΝΑΓΡΑΨΑΣ
ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΕΤΕΣΙΝ ΚΑΙ ΙΣΑΙΣ ΕΠΙ ΒΥΒΛΟΙΣ
ΣΥΝΕΓΡΑΨΕ ΔΕ ΒΥΒΛΙΑ-ΙΑΤΡΙΚΑ ΜΕΝ-Ō
ΙΣΤΟΡΙΚΑ ΔΕ-ΠΕΡΙ ΖΜΥΡΝΗΣ-Ā
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΜΗΡΟΥ ΣΟΦΙΑΣ-Α-ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΔΟΣ-Α
ΑΣΙΑΣ ΚΤΙΣΕΩΝ-Ā-ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΤΙΣΕΩΝ-Ā Γ̄Δ̄-ΝΗΣΣΩΝ-Α
ΑΣΙΑΣ ΣΤΑΔΙΑΣΜΩΝ-Α-ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ-Α
ΣΤΡΑΤΗΓΗΜΑΤΩΝ-ΑΒ-
ΠΙΝΑΞ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ ΔΙΑΔΟΧΗ ΚΑΤΑ ΧΡΟ-
ΝΟΥΣ [z]

Noſtrum igitur *Hermogenem* eum eſſe, qui, ut *ſeptuaginta ſeptem librorum auctor*, in hoc lapide celebratur, eo magis veriſimile videtur, quia patrem quoque *Charidemum Eraſiſtrateum* fuiſſe teſtatur Cael. Aurelianus, Acut. morb. l. III. c. 15. ubi *Caridemus* ſcribitur.

ALII non pauci in nummis plane paribus pari modo inſcripti reperiuntur, quos aera haec Smyrnaea non inhono-

[z] Nequis forſan erraret in numero librorum, quos inſcriptio memorat, computando, totam hic Latine converſam ſubjicere viſum eſt.

Hermogenes medicus, Charidemi filius, annos
Undices ſeptem, libros totidemque peregit.
*Conſcripſit autem libros—medicos quidem—*LXXII.
Hiſtoricos vero — de Smyrna — tom. I, II.
De Homeri ſapientia — tom. I — *& de patria —* I.
Structurarum Aſiae — tom. I, II — *ſtructurarum Europae —* I, II, III, IV — *inſulaxum —* I.
Aſiae ſtadiaſmorum — tom. I — *& Europae —* I.
Stratagematum — tom. I, II.
Tabula Romanorum & Smyrnaeorum ſucceſſione temporum.

ratos

ratos posteritati tradunt. Quos autem prae manibus habemus, praeter alios aliis memoratos, aut in eruditorum scriniis reconditos, sunt, qui sequuntur. *Artemidorus* Sidensis, quem Caelius Aurelianus, ut *Erasistrati sectatorem*, haud semel commemorat. Etiam *Hippias Artemidori*. Item *Moschus Moschi:* & de *Moschi* quidem *malagmate* apud Celsum legimus, l. v. c. 18. *Diogenes* etiam: idem, ut conjicere licet, cujus *purgatorii pituitam ducentis* meminit Aetius, Tetrab. 1. serm. 3. c. 109. Item *Hermocles Pythei:* ejusdem forsan *Pythei* filius, de quo supra mentionem fecimus, p. 41. *Apollonius* quoque, (*Mus*, ut fas est credere) Straboni l. XIV. *Herophileus*, *Heraclidae* condiscipulus; & ejusdem sectae *Demetrius*, ut scribit Cael. Aurelianus, Acut. Morb. l. III. c. 7. Etiam *Charicles*, nomen *medici* apud Galenum. Nec non *Apollodorus*, cujus nominis plures *medici* a Plinio memorantur. Praeterea *Potamon* & *Menecles*, non insueta Smyrnaeorum nomina, ut in foedere illorum cum Magnetibus videre est, Marm. Oxon. p. 6 & 17. His accedunt *Aristomenes*, *Arridaeus*, *Callistratus*, *Conon*, & *Pyrrhus*. Denique tres alii, quorum singuli *astro* adornantur, *Metrodorus* alter, *Eucles*, & *Leontiscus*. Horum aliqua fortasse nomina veterum medicorum libros excutientibus occurrent; caeteris silentio praeteritis, quia nullo nobili invento apud suos claruere.

EXTINCTIS denique scholis, quae Smyrnae urbi medicos, Aesculapio sacerdotes praebuere, succesſit alius rudior

dior multo nummus Aeſculapicus, mutato aliquantulum ſimulacro, nec expreſſo ſacerdotis nomine; quem quidem ad priores illos elucidandos adhiberi curavimus, Tab. 11. n. 1, 2. Is nobis ante oculos palam videtur ſiſtere ipſiſſimum illum, quem Tertullianus depinxit, Aeſculapium: hoc eſt, cum *pallio moroſius compoſito, & crepidis Graecarum.* Caput etiam non jam *ſtrophio*, ut nonnulli ex jam deſcriptis nummis; ſed, ut alii ex iiſdem, quodam quaſi *pileo* obtectum monſtrat. Et *pileatum* quidem *Aeſculapium* jam olim protulit Baldus Angelus Abbatius in opuſculo De vipera, Urbini edito, ann. 1589; recentius vero clariſſimus Vaillant in coloniae Corinthiorum nummo, valetudinario iſti L. Aelio Caeſari dicato. Hujuſmodi autem ſeu *pilei*, ſeu *coronae* (alterutrum enim non improprie dixeris) tum nomen ipſum, tum ſimilitudo, ad haec uſque tempora pervenit. Κίφος enim Meſſeniaca, i. e. Aſclepiadarum lingua vocabatur, teſte in Laconicis Pauſania, cap. ult. Hinc Celticum *coif*, Italicum *cuffia*, Graecum hodiernum κεφία. Et ut pars ejus anterior in laudato Aelii Caeſaris nummo; ita poſterior in Goari Euchologio Graeco, pag. 157. conſpicienda extat. Hanc ſimulacri mutationem, aliorumque in Aeſculapii templo innovationem, non obſcure innuit Ariſtides, ſtudioſus ejus, ſi quis alius, & devotus cultor. Εδόκει, inquit, ἐν προπυλαίοις εἶναι τῦ Ασκληπιῦ, καὶ προιόντος λόγυ μνησθῆναι, ὅσα δὴ καὶ περὶ τὸ ἱερὸν τυγχάνοι κεκινημένα —— καὶ ὁρῶ ἄγαλμα ἕτερον, ἀντὶ τῦ παλαιῦ, κατηφές. Orat. ſacr. prim.

HAEC,

HAEC, ni fallor, in praeſentia ſufficient ad hos nummos medicis vindicandos. Si quis autem objiciat, jus illud nomen ſuum in nummis inſcribendi, ut ſacerdotes potius, quam medicos, eos habuiſſe: ut is ſecum reputet volumus, tum Iſidem, tum Aeſculapium, divinos ſuos honores medicae arti primum debuiſſe. Itaque cum templis, ſacriſque ritibus illos, tanquam numina, Smyrnaei adornaverint, medicoſque potiſſimum ἱερέας, ſeu potius ἀρχιερέας (quibus nummos hujuſmodi percutiendi poteſtas conceſſa videtur) ipſis eligere voluerint; artis cauſa, quam cum diis iſtis communem habuerunt, decus utrumque in eos collatum fuiſſe merito judicari poteſt. Neque enim ſummi ſacerdotii dignitas perpetua, ſed annua tantum fuiſſe videtur. Certe de ſummo *Syriae Deae*, h. e. *Matris Deorum*, ſacerdote id diſertim teſtatur Lucianus. Ἀρχιερεὺς, inquit, ἄλλος ἑκάστου ἔτεος ἐπιγίγνεται. Atque hinc opinor, facile apparebit, quemadmodum omnes medici, quibus nummos adſcripſimus, munus hoc gerere potuiſſent; cum ex alterutra ſcholarum, quas memorat Strabo, profecti, fama nominis poſtea quidam ad illud fuiſſent arceſſiti, licet alias forſan longe a Smyrna urbe artem ſuam exercerent.

FINIS.

ERRATA. Pag. 22. v. 12. l. *Seguinus nummi alicujus Smyrnaei effigiem*. p. 23. not.ᵉ l. Vid. Differt. p. 45. n.° p. 39. n.ᵖ l. Τιλεσφόρου. p. 40. n.ᵃ l. τιὼν. p. 43. nᵉ l. ſitum erat, *ommate delato*.